



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tractatio Synoptica De Ivdiiciis Ad Lib: II. Decretal:  
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

**Spirens., 1660**

43.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

42. Atque hæc de Judicis officio, pro-  
ut est commune Ordinario, & delegato.  
Quod reliquum, præter Ordinarium, &  
delegatum Principis, dare possunt Judi-  
cem, quibus hoc lege, vel Senatusconsul-  
to, vel constitutione conceditur. Nomi-  
natim Proconsul, & Legatus eius, Præsi-  
des Provinciarum, cæteriꝫ; Magistratus  
Romæ, *L. cum Prætor. 12. §. 1. ff. de jud: Da-*  
*bant autem Judicem, vel quod propter*  
*Imperii Majestatem, vel quod propter*  
*negotiorum multitudinem, ipsi non ju-*  
*dicarent, nisi de quibusdam causis extra*  
*ordinem L. 1. & seq: ff. de extr. cognit: Ve-*  
*rùm hodie ipsi jubentur judicare nisi ob*  
*publicas occupationes litibus judicandis*  
*superesse non possint. L. 2. C. de pedan: ludi-*  
*nov: 13. nov. 98. Duar: ff. de jurisd. cap: 2.*

43. Dari possunt omnes, qui non pro-  
hibentur. Prohibentur Naturâ, surdus  
mutus, perpetuo furiosus, & impubes  
Lege verò, qui Senatu motus est, aut gra-  
vi crimine notatus. *Moribus: fœminæ &*  
*servi, cit. L. cum Prætor 12. 39. & 46. ff. de*  
*jud: L. 60. ff. de re judic. L. 1. ff. ad L. Iul: de*  
*priv. Dubitatur de cœco, imperito Juris, de*  
*mino*

minore annis 25. Nos cœcum rectè dari  
 L. 6. ff. de jud: Imperitum juris, & minorem  
 non rectè dari asserimus L. 8. ff. de mun. &  
 honor. L. 2. ff. de vacat. & excus. mun. Duar.  
 Cuiac: & alij. Pedanei, qui nudam causa-  
 rum Civilium cognitionem habent, de le-  
 vioribus potissimum causis judicant. In  
 Urbe Constantinopolitana usq; ad CCC.  
 aureos L. ultim. C. de ped: jud: nov. 82. cap. 5.  
 Sanè liberales causæ maiorem judicem  
 efflagitant, L. non distinguemus 32. §. de libe-  
 ral: ff. de recept. L. 2. de ped: Iud.

44. In sua causa quamvis communiter  
 nemo Judex esse possit, L. de jur: 37. ad Mu-  
 nicip. L. uni. C. ne quis in sua causa Iud: vel jus-  
 dic: Speciale id tamen est in Principe, qui  
 superiorem nullum cognoscit, per Gl: in  
 cap: venissent 12. ibid. Ioan: And: n. 6. & 7. De-  
 cius n. 5. de jud. quanquam melius acturus  
 sit, si causam arbitris committat; vel Ju-  
 dices Ordinarios aut delegatos constitu-  
 at, qui inter ipsum, & subditos, jus dicant:  
 Sic civili jure, si lis oriatur inter fiscum  
 Principis, & privatos, hi, qui Cameræ præ-  
 sident Judices esse solent; L. 2. C. si adver-  
 sus fiscum, &c. Sed & Pater in causa filii, &  
 D filius